

Ecclesie Aquilegensis possint vigore dicti compromissi procedere vel dominum nostrum papam requirere, nisi prius dictum compromissum factum per dictum dominum ducem, consilia et commune Veneciarum ex una parte et supradictos sindicos, actores, et procuratores, ambaxiatores et nuncios speciales dictae Ecclesie Aquilegensis et patrie Forijulii vel alterum ipsorum ex altera, ratificatum et approbatum fuerit per personam vel personas legitime presidentem vel presidentes Ecclesie supradicte. Item fuit actum inter dictas partes nominibus antedictis, quod omnes homines et persone cujuscunque status, conditionis et sexus existant, que ante presentem guerram habitabant, seu solite sunt habitare ante presentem guerram in aliqua civitatum, terrarum, villarum, castrorum et locorum tocius provincie Istrie, qui adhesissent quovis modo in presenti guerra dicto domino Patriarche et Ecclesie Aquileensi, seu ejus gentibus et subditis, seu aliquid fecissent, perpetrassent vel commisissent toto tempore presentis guerre contra dominum ducem et commune Veneciarum, seu eorum adherentes, subditos et sequaces in personis et rebus, restituantur in integrum quoad personas, statum et bona in eo statu, quo dicta bona hodie sunt, et restituantur et restituti esse intelligantur ad gratiam dictorum domini ducis et communis Veneciarum, cassatis, irritatis et abolitis quibuscumque processibus, sententiis, bannis et forestationibus factis haec tenus contra eos vel ipsorum aliquem toto tempore presentis guerre et quod possint dictis bonis suis gaudere et stare et habitare ubi eis placuerit. Et idem et eodem modo in omnibus et per omnia fiat et observetur per Ecclesiam Aquileensem de hominibus et super hominibus dicti patriarchatus et subditis suis, qui quovis modo adhesissent in presenti guerra dictis domino duci et communi Veneciarum. Item quod super non specificatis in presenti pace stetur pactis et conventionibus initis inter ipsas partes, que inter ipsas partes debeant inviolabiliter observari, salvo semper compromesso predicto. Denuo cum inter dictum serenissimum dominum regem Hungarie etc. ex una parte et commune Janue ex